

oculos ad videnda ima peccatorum vulnera curvat<sup>1</sup>... Homines, cum per disciplinam alios feriunt, sic alienam infirmitatem debent percutere ut etiam ad suam noverint oculos revocare, ut semetipsos considerent quantum aliis feriendo parcant, cum se quoque ipsis dignos percussione non ignorent<sup>2</sup>. Libertatem eorum qui vobis commissi sunt ut vestram specialiter attendere debetis, et si ipsi a Maioribus vestris iniurari libertatem vestram non vultis, subiectorum vestrorum libertatem honorando custodite<sup>3</sup>.

§ III — De discretione in correptione servanda.

SUMMAE RERUM. — 142. De eius inibi necessitate. — 143. Qui in re scopuli vitandi sint. — 144. Discretionis in correptione condiciones recoluntur ac illustrantur. — 145. De quodam in re generali principio prae oculis habendo. — 146. Conclusio.

142. — Quum iustitia sine discretione gladius sit in mano furiosi... et mors et bonorum persecutio<sup>4</sup>, et in correptione discretione servandam esse liquido patet. Sit ideo cum discretione correptio, iram benignitas temperet, benignitatem zelus acuat, ac ita alterum condat ex altero ut nec immoderata ultio plus quam oportet affligat, nec, iterum, disciplinae remissio rectitudinem frangat. Secus, enim, si plus quam par est et res exigit, ferrum imprimatur [cum et quod sanum est vulneretur] quibus prodesse intenditur, nocuum comparatur. Pastor, igitur [in correptione praesertim] adeo se ipsum moderetur, ut, dum disciplinae iura contra delinquentes exercet, pietatis viscera ipsos erga non amittat. Opportunum, igitur, correptionis tempus deligatur, et iuxta fidelium diversitatem ea adhibeatur, de quibus omnibus recensitis industriis, postquam nonnulla de in re obstaculis recolimus, brevem sermonem instituemus.

143. — Discretionis in correptione praxis, quamvis prima fronte facilis videatur, attamen, quum obstacula quae illi obsistant, tum numero, tum momento haud pauca nec levia sint, ardua prorsus res censenda semper. Haec vero impedimenta ac obstacula habentur quum vel nimis tarde, vel nimis cito, vel omnia emendare conamur.

a) Ad nimiam correptionis tarditatem quod spectat illud Poetae recolendum: *Principiis obsta: sero medicina paratur quum mala*

<sup>1</sup> S. Gregor. Magn. in I Reg. Lib. VI, Cap. 56.

<sup>2</sup> Id. Moral. Lib. XIX, Cap. 56.

<sup>3</sup> Id. Epistolar. Lib. X, Indict. III, Epist. 51, Ad Leontin.

<sup>4</sup> S. Augustin., Ad Fratres in eremo, Cap. 14

per longas invalere moras<sup>1</sup>. Accedentem improbitatem fugare quam procedentem altiusque grassantem coercere atque superare, minoris enim laboris est, quod et in maius subditi emolumentum cedere consuevit.

b) Ad nimiam festinationem quod refert, illud Philosophi Moralis recolendum: *nil tam periculosum quam immatura medicina*<sup>2</sup>. Nonnulla, enim, vel aperte cognita mature toleranda sunt, quum, videlicet, ut aperte corrigantur rerum opportunitas minime congruit. Plurimos, enim, ad salutem reduci posse si cum paterna quadam ac plena amoris ac fiduciae patientia res agatur, usus ac experientia amplissime docuere.

c) Qui vero omnia indiscriminatim corrigere intendit, Sapientiae monita recolat: *Noli esse iustus multum*<sup>3</sup>, *prudential tuae pone modum*<sup>4</sup>; *insipiens, enim, est omnis sapientia cui non adest modus*<sup>5</sup>. Pastor, idcirco, D. Bernardi ad rem documenta consideret: *Multa nescias, plurima dissimules, nonnulla obliviscaris*<sup>6</sup>. Quod ipse Deus servat qui peccatores minus quam eorum culpa requirant ipso in inferno afficit; ut et Servator Noster cum adultera egisse legimus; quod et David bene cognovit qui cecinit: *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura*<sup>7</sup>. Ut, enim, navis gubernator cum adversari sibi ventum observat, quosdam fluctus directo clavo impetit, quosdam vero [quos superare non posse praevidet], inflexo cursu, prudenter declinat, ita Curator animarum quaedam arguendo, quaedam tolerando mitiget. Bonus, igitur, Pastor inordinatae superbiae ac nimiae sollicitudini ne attendat, sed [humanae naturae imbecillitati compatiendo] patientiae, longanimitati ac misericordiae studeat, quibus tantum [ut plurimum] optatam fidelium emendationem ipse assequatur. *Vera iustitia compassionem habet, falsa dedignationem*<sup>8</sup>. Quod, iterum recolimus, praesertim in paroeciae regimine locum obtinet, in quo perquam prudentissime in re agendum est.

144. — Ad discretionem in correptione servandam tempus opportunum deligatur, quum praesertim in correptione, utrum antea an postea decernatur, suscipiatur, agatur multum intersit. Nam si immature quis dederit, nil dubium quin sit causa periculi res salutis: si autem serius dederit, ad nihilum valet. *Temporibus, enim, medicina valet,*

<sup>1</sup> Ovid., De Remed. Amor.

<sup>2</sup> Seneca, De Consolation., ad Helvetium.

<sup>3</sup> Eccles. VII, 17.

<sup>4</sup> Prov. XXIII, 4.

<sup>5</sup> Lipsius, Epist. 56.

<sup>6</sup> De Considerat. Lib. V, Cap. 8.

<sup>7</sup> Psalm. XXIX.

<sup>8</sup> S. Gregor. Magn. Homil. in Evangel., homil. 34.

*dato tempore prosunt, et data non apto tempore vina nocent*<sup>1</sup>. Dum, igitur, Pastor vel fidelis fervere ira, cunctandum est: secus, enim, dum primus commiserationis spectaculum alteri praebebit, fidelis vero ad maiora incitatur scelera, vel saltem disceptationes habentur, quibus ad auctoritatem periclitandam nil infestius.

145. — Et variis fidelium conditionibus Pastor se accommodet. Eorum itaque aetatem, voluntatem, ignorantiam, infirmitatem, temperamentum, vel moralem characterem et passiones prae oculis ipse habeat, quae omnia, ut patet, quum diversissima sint, varia ac dissimilia remedia prorsus requirunt. Idcirco:

a) Ad aetatem quod spectat illud Apostoli dilecto Tito monitum prae oculis habeatur: *senem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem*<sup>2</sup>. Cum iuvenibus vero, *plerumque, severitas admonitionis ad profectum dirigit*<sup>3</sup>.

b) Quoad bonae voluntatis gradus, *sicut obstinati esse humilibus non debemus, ita districti existere superbis debemus*<sup>4</sup>.

c) Iuxta ignorantiam, infirmitatem ac malitiam, *sicut gravius est infirmitate quam ignorantia delinquere, ita peius est studio quam infirmitate peccare*<sup>5</sup>. Ignorantia peccavit Paulus qui *ignorans fecit in incredulitate*<sup>6</sup>; infirmitate lapsus est Petrus; malitia Pharisei peccavere qui, *execrabilis invidiae facibus accensi, ut morti Iesum traderent consilium quaerebant*<sup>7</sup>. Idcirco *citius culpa dimittitur quae nequam malitiae studio perpetratur*<sup>8</sup>. Cum vero non malitia, sed sola ignorantia, vel infirmitate delinquitur, profecto necesse est ut magno modamine ipsa delicti correptio temperetur<sup>9</sup>. Qui, enim, malitia peccant excusationem de ignorantia habere non possunt, quia, dum ante oculos hominum omnem modum sanctitatis ostendunt, ipsi sibi sunt testimonium qui bene vivere non ignorant<sup>10</sup>.

d) Iuxta temperamentum ac characterem necesse est ut Pastor prudens quae in fidei sint attendat, ut et Apostolus egit qui Corinthiis, quos dociles cognovit, ait: *Obsecro vos fratres*<sup>11</sup>; cum duro vero corde Galatas: *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratia Christi*<sup>12</sup>. Neque secus cum Tito ac Timotheo [quos

<sup>1</sup> Ovidius, *De remed. am.*

<sup>2</sup> *I Timoth.* V, I.

<sup>3</sup> S. Gregor. Magn. *Regula Pastoral.* Par. III, Cap. 1.

<sup>4</sup> Id. *Homil. in Ezech.* Lib. I, Homil. 11.

<sup>5</sup> Id. *In sept. Psalm. Poenitent.* Psalm III.

<sup>6</sup> *I Timoth.* I, 13.

<sup>7</sup> S. Greg. Magn. *loc. cit.*

<sup>8</sup> Id. *Regul. Pastoral.* Par. II, Cap. 10.

<sup>9</sup> Id. *Ibid.*

<sup>10</sup> *Moral.* Lib. XXXIII, Cap. 58.

<sup>11</sup> *I X*, 1.

<sup>12</sup> *I*, 6.

diversos temperamento agnoscebat] ipse egit; quorum primo ait: *Argue cum omni imperio*<sup>1</sup>; alteri vero: *obsecra in omni patientia et doctrina*<sup>2</sup>. Et recte sane, quum *tunc vere medicina bona est quando sic per eam vitio superexistenti succurritur, ut etiam suppositae conspersioni serviat*<sup>3</sup>. Ad rem vero:

1) *Mentes asperae si increpatae leniter fuerint ad maiores culpas, ipsa lenitate, provocantur*<sup>4</sup>.

2) *Verecundae mentes.... leniter arguendae, quia si asperius increpentur, franguntur potiusquam erudiantur*<sup>5</sup>; quo fit ut *si qualiter, quid dicatur.... non vigilanter conspiciatur, valde periculosum est*<sup>6</sup>.

3) *Mentes durae nisi essent aperta increpatione percussae, nullo modo malum cognoscerent quod egissent*<sup>7</sup>. Semper vero duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse<sup>8</sup> Pastor meminerit.

e) Quoad valetudinem, cum percussio corporalis utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat Dei in hoc iudicio ignoratur, non debet a nobis addi flagellatis afflictio, ne nos culpa, quod absit, offensa respiciat<sup>9</sup>. Quilibet, enim, in eo fuerit excessus, ipsa aegritudinis afflictio ei debet pro flagello sufficere: quem, enim, divina disciplina conterit, ei humana flagella addere superfluum est<sup>10</sup>. Hinc illud in iure exploratum: *afflicto afflictio non est addenda*.

146. — Conclusionis instar D. Laurentii Iustiniani verba recolere iuvabit: *Maxima est adhibenda in correptione prudentia: consideranda est peccati qualitas, peccantis conditio, intentionis perversitas, correctionis tempus, et verborum mensura. Horum aliquo deficiente, redargutio ipsa vix absque delicto committitur*<sup>11</sup>. Idcirco [iterum admonemus] agricolam imitetur Pastor qui *semina in terram mittens, prius terrae qualitatem praevidet quibus seminibus apta videatur, et postquam qualitatem praeviderit, tunc semina spargit*<sup>12</sup>.

<sup>1</sup> *II*, 15.

<sup>2</sup> *II*, IV, 2.

<sup>3</sup> S. Gregor. Magn. *Regul. Pastoralis*, Par. III, Cap. 37.

<sup>4</sup> Id. *Homil. in Ezechiel.* L. I, Homil. 11.

<sup>5</sup> Id. *Ibid.*

<sup>6</sup> Id. *Ibid.*

<sup>7</sup> Id. *Ibid.*

<sup>8</sup> Id. *Epistolar.* Lib. XI, Indicit. IV, Epist. *Ad Meliten. Abbat.*

<sup>9</sup> Id. *Ibid.* Lib. II, Indict. II, Epist. 3 *Ad Candid. Episcop.*

<sup>10</sup> Id. *Ibid.* Lib. II, Indict. 1, Epist. 26, *Ad Roman. Defensor.*

<sup>11</sup> *De Institut. et Regim. Praelator.* Cap. 9.

<sup>12</sup> Origen. *Homil.* 4, in Lib. *Iudic.*

§ IV. — De caritate in correctione adhibenda,  
et ad rem normae.

SUMMAE RERUM. — 147. De caritatis in correctione necessitate. — 148. Huius virtutis in correctione effectus recoluntur ac inlustrantur.

147. — Adhortante Apostolo *omnia vestra in caritate fiant*<sup>1</sup>, *satis ostendit ipsas correctiones... cum caritate esse faciendas*<sup>2</sup>, qua correctio si diligens non severa, ac si dulcedo cauta, haud tamen remissa est. Tunc, enim, adeo alterum condietur ex altero ut et boni habeant amando quod caveant, et pravi metuendo quod timeant. Maior autem huius caritatis effectus est ut asperum aliquid, correptionis semper proprium, studio minuatur; secus, enim, cum rigoris asperitate, correptionis fructus facile perit, vel ipsa culpa plus quam par est ingravescit, et rei contumacia acuitur. Ad destruendas, enim, culpas ille tantum potest qui, magna charitatis affectione, ipsos reos demulcet; enimvero multam compassionem postulat conversio peccatorum! Igitur dum Pastor, ut omnem vim morbi perfecte confodiat, perfecte ferit, et plagas quas pungitur ad sanitatem reducat per misericordiam ungit: medicinae oleum quo foetores tergat aegrasque mentes salutis restituat ne desit, at et misericordiam abundantem [quae virtutibus coeteris ab eo praeferatur] habeat. Hac tantum ratione *minister Christi Iesu in gentibus sanctificans evangelium Dei*<sup>3</sup>, Pastor erit, et hac caritate incensus, eius salutare effectus, quos recolere opportunum ducimus, sibi fidelibusque ipse comparabit.

148. — Enimvero caritas, in correctione:

a) Corrigenis intentionem purificat, qua tantum eius finem assequi licet. Ad rem:

I) Correctionis mentem non aliam esse [ut Tridentini docuere Patres<sup>4</sup>] quam reum corrigere, disciplinam servare, scandalum devitare, Pastor meminerit. Enimvero *corripiendo nil aliud debemus agere nisi ut a pace quae est ad Deum non recedatur, aut ad eam qui recesserit revertatur*<sup>5</sup>.

II) Culpam a reo adeo distinguere Pastor noverit, ut dum primam persequitur, alterum summopere diligat, quo tantum paternum affectum nullo modo dimittet. Enimvero, dum persona per

<sup>1</sup> I Corinth. XVI, 14.

<sup>2</sup> S. Augustin. *De Gratia*, n. 24.

<sup>3</sup> *Ad Roman.*, 16.

<sup>4</sup> Sess. VIII, *De Reformat.*, cap. 1.

<sup>5</sup> S. Augustin. *De Corrept.* n. 6.

contrarietatem displicet, nec quae Pastor iusta protulerit placent, et ut agricola ille qui zizania simul ac frumentum igni tradiderit stultus erit, ita qui culpam simul et peccatorem puniret, omnino stulte ageret. Adeo, igitur, caute agendum est, ut dum spina tollitur, spica nutriatur, quatenus dum Pastor studet eradicare quod pungit, noverit servare quod reficit. *Criminis, igitur, persecutor, et hominis liberator* Pastor sit<sup>1</sup>. *Duo, enim, nomina sunt homo et peccator: hominem Deus fecit, peccatorem se ipse homo fecit: pereat quod fecit homo, liberetur quod fecit Deus*<sup>2</sup>. *Etsi clamas, intus ama*<sup>3</sup>; nam *si malus, malus frater, tamen frater*<sup>4</sup>. Quod et Apostolus cum Corinthiis servavit, quos, posteaquam excommunicaverit, alloquitur: *adsit caritas mea cum omnibus in Christo Iesu*<sup>5</sup>. *Summus, enim, locus bene regitur cum is qui praest vitiis potiusquam fratribus dominatur*<sup>6</sup>.

b) Caritas in correctione suavitatem in verbis diffundit, qua Pastor monet *non ut magister, sed ut mater, plane ut amans*<sup>7</sup>. Idcirco:

1) Cum Pastor arguit nec clamat, nec aliquid inurbanum dicat; si enim fidelis patienter monimenta ferre cogitur, inurbanas vero iniurias [quae improbandae omni pacto semperque videntur] haud tolerare tenetur. *Errores, enim, acerbius increpare, vitia vehementer reprehendere, damno magis quam utilitati est*<sup>8</sup>. Pius PP. X recte suadet. Quod Sanctos Viros devitasse legimus qui, etiam cum severe corrigerent, quia in disciplina humilitatem custodiebant, internae dulcedinis gratiam non amittebant. Pastor, igitur, *neque sub specie quasi corripiendi, verbo acuto et urenti transfigere audeat animam pro qua Christus affigi cruci dignatus est*<sup>9</sup>. *Qui, enim, profert contumeliam insipiens est*<sup>10</sup>, et Apostolus monet: *Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem*<sup>11</sup>.

II) Disputationes altercationesque vitandae semper, ut mox monuimus.

III) Caveat Pastor ne consilium fideles ita irritandi foveat ut, ad insolentiam pulsos, gravius tutiusque puniat, monente Apostolo: *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ne pusillo animo fiant*<sup>12</sup>. Non, enim, damnationis, sed *reconciliationis ministerium*

<sup>1</sup> S. August. in Serm. LXXXVIII, *De Verb. Matth.* XX.

<sup>2</sup> Id. *loc. cit.* n. 48.

<sup>3</sup> Id. Serm. 314.

<sup>4</sup> Id. in *Epist. ad Galat.* Sermo V, VI.

<sup>5</sup> I, XVI, 22, 24.

<sup>6</sup> S. Gregor. Magn. *Regula Pastoral.* Par. II, Cap. 1.

<sup>7</sup> S. Bernardus, *De Considerat.* in prolog.

<sup>8</sup> Encycl. *E supremi apostolatus*, die 4 Oct. 1903.

<sup>9</sup> S. Bernard. in *Cantic.* Sermo 29.

<sup>10</sup> *Prov.* X, 10.

<sup>11</sup> II *Ad Thessalonic.* III, 15.

<sup>12</sup> *Ad Colossens.* III, 21.

*dedit nobis Deus*<sup>1</sup>, quo apud animas nobis concreditas eius legatione fungimur ut ad caelestem Patriam eas deducere valeamus. Insuper et Psalmistae monitum Pastor recolat: *in laqueum quem absconderunt comprehensus est pes eorum*<sup>2</sup>.

c) Caritas in correctione errantem Pastorem ab errore reducit, quod sane tantae difficultatis est ut fere miraculum dixeris. At si omnium ab errore recedere est, Praepositi quam maxime, qui, potens cum sit, et potentius iustitiam laederet. Idcirco:

I) Pastor [ut diximus] fidelem habeat ut ipse se haberi velit; nam *iustitia nec factura est alteri quod sibi fieri nolit, nec quod sibi velit negatura*<sup>3</sup>.

II) Coelestia vero lumina Pastor invocet, quum nisi Deus adsit lux mentium, ab errore vindicare mentem homo non possit.

III) Humana quoque consilia ne spernat ipse, quibus sui regiminis errores deteget.

d) Caritas in correctione Pastorem industrem reddit, qua obiurgando, hortando, suadendo, blandiendo, solando, quibus prodesse potest satagit. *Amor, enim, operatur magna si est; si vero operari renuit, amor non est*<sup>4</sup>; et tantum *si caritas mentem plene ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit*<sup>5</sup>, quibus *qui non sapiunt sapiunt, et qui desipuere resipiscunt*<sup>6</sup>. Ad rem vero:

I) Suae infirmitatis nunquam obliviscatur Pastor. *Considera igitur te ipsum, ne et tu tenteris*<sup>7</sup>; *quis, enim, infirmatur et ego non infirmor, quis scandalizatur et ego non uror*<sup>8</sup>? *Nihil, enim, ad misericordiam sic inclinatur quam proprii periculi cogitatio*<sup>9</sup>. Enimvero Pastor aut peccavit, vel peccat, seu peccare potest.

1) Peccavit. *Quis gloriabitur mundum se esse a peccato?*<sup>10</sup> *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus et veritas in nobis non est*<sup>11</sup>; *rara vox: nihil mihi conscius sum*<sup>12</sup>.

2) Peccat; nam *in multis offendimus omnes*<sup>13</sup>, et *nescit homo*

<sup>1</sup> II. Corinth. V, 18.

<sup>2</sup> Psal. 9, 16.

<sup>3</sup> S. Bernard. *De Considerat.*, Lib. I, cap. 18.

<sup>4</sup> S. Gregor. Magn. *Homil. in Ezechiel.* Lib. III, hom. 30.

<sup>5</sup> Id. *Moral.* Lib. X, Cap. 6.

<sup>6</sup> S. Bernardus, *op. cit.*, Lib. IV, Cap. I.

<sup>7</sup> *Ad Galatas*, VI, 1.

<sup>8</sup> II Corinth. XI, 29.

<sup>9</sup> S. Ioan. Chrysost. *Hom. XX. ad Popul.*

<sup>10</sup> *Prov.* XX.

<sup>11</sup> I Ioan. 1, 8.

<sup>12</sup> S. Bernard. *op. cit.*, lib. II, Cap. I.

<sup>13</sup> *Iacob.* III, 2.

*utrum amore an odio, dignus sit*<sup>1</sup>; *memento quoniam omnes in correctione sumus*<sup>2</sup>.

2) Peccare potest; nam *quid hesternae die fuimus scimus, sed quid contingat crastina nos esse nescimus*<sup>3</sup>. *Quomodo ceciderunt fortes in proelio; quomodo ceciderunt robusti et perierunt arma bellica!*<sup>4</sup>. Igitur *qui stat videat ne cadat*<sup>5</sup>.

II) Corrigendum fidelem Pastor consideret. Quapropter:

1) Et in eo aliquid inesse boni Pastor persuasum habeat; quum nemo tam malae conditionis sit ut in omnibus perverse se habeat. Si, igitur, *nec sumus, nec fuimus quales adhuc illi quos emendare curamus, ne cor nostrum forte superbiat, et de ipsa innocentia peius ruat, quorum mala corrigimus, alia eorum bona nobis ante oculos revocemus*<sup>6</sup>.

2) Saltem, in tempore, aliquid et in eum haberi posse boni Pastor consideret, *quia sicut nos meritis nullis hoc ipsum bonum quod habemus accipimus, ita illis quoque potest gratia supernae virtutis infundere, ut excitati posterius, etiam ipsa bona quae nos ante accepimus pervenire...* *His, ergo, primum cogitationibus humiliari cor debet, et tunc demum delinquentium iniquitas increpari*<sup>7</sup>.

3) Fidelium culpas ac eorum contumaciam, potiusquam ipsis, nobismetipsis imputemus, ut perhumiliter D. lamentabatur Gregorius: *valde pertimesco ne commissa mihi plebs fidelium, reatus mei additamento depereat, cuius hucusque delicta Dominus aequanimiter tolerabat*<sup>8</sup>.

4) Uti sui corporis membra Pastor eos consideret, qui in paroeciae corpori veluti caput extat. Hac ratione fiet ut in fideles, quos uti sua membra habet ipse, non saeviat, sed e contrario, omnino caritative se habeat.

5) Christi Sanguinis pretium, dilectissimos Ecclesia filios in corrigendis videat Pastor, quo et paternae caritatis opera ipsis impendere suadebitur.

III) Immotam in animo pacem servet, quum tum illi, tam fideli inquietudo plurimum noceat. At nec culparum frequentia, nec multitudo seu gravitas, ad pacem turbandam satis esse possunt: pace, insuper, numquam de rei emendatione desperatur.

<sup>1</sup> *Eccles.* IX, 1.

<sup>2</sup> *Ecclis.* VIII, 6.

<sup>3</sup> S. Gregor. Magn. *Moral.* lib. V, Cap. 7.

<sup>4</sup> II Reg. 1, 25-27.

<sup>5</sup> I Corinth. X, 2.

<sup>6</sup> S. Gregor. Magn., *Moral.* Lib. V, Cap. 7.

<sup>7</sup> Id. *Ibid.* Lib. XXIII, Cap. 13.

<sup>8</sup> Id. *Epistolar.* Lib. I, Indict. 9, epist. 25, ad Ioann. Episcop.